

PETRI ANDREÆ MATTHIOLI AD MEDICÆ MATERIÆ STUDIOſOS,

P R Æ F A T I O.



I vellem eorum morem sequi, qui anteaquam opus suum aggrediantur, illud in primis profitentur, nihil sibi majori cura ac studio esse, quam ut vitæ, usuiq; mortaliū consulant, hoc ipse quoq; ingenue facere possem. Nam ea animi propensione ab ipsa iuventute, quantum mihi oculi a medendū agris, & cura familiari impetrare licuit, id totum ad bonorum Autorum libros evolvendos, ad simplicium medicamentorum cognitionem assequendam, ac demum ad scribendum contuli. Quæ in re, ut certe apud omnes testatum relinquerem, me hac mente animoq; elaborasse ut quantum studio, labore, atq; industria, consequi possem, humanæ vitæ prodessem: id ego optime meritis existimaverem. Dioscoridi omnem meam operam, ac diligentiam adhibui, ut quantum in me esset,

illustrior redderetur, atq; omnium manibus teneretur. Ad quod ea mihi visa est ratio commodissima, ut ipsum Dioscoridem in nostram Italicam linguam transferrem, in eumq; commentarios, à nobis Italice item conscriptos, adicerem: quod tunc nos privatim studium, majorq; cura subiret, Italos iuvandi, quam ceteros. Etenim pauci admodum sunt in Italia Pharmacopole, ad quos tamen potissimum hac de Medica materia tractatio spectat, qui Latinam linguam exacte norint. Hoc opus, quod summa animi alacritate susceperam, ubi absolvissim, emisi, vel hortantibus amicis, ut quem fructum antea ex meo laboribus mihi proposueram, cum postea mortaliū percipiendum, ac omnibus æstimandum exhiberem. Verum an ut alius fuerit, qualis ut esset, contenderam, malini aliorum esse iudicium, quam meum. Illud certo scio (si tamen id absq; vitio nobis testari licet) à multis in Italia, quorum iudicium ceteris antepono, eo animi candore scripta nostra æstimata, ac commendata fuisse, quo ipsi illa scripsimus, atq; etiam Italis non inutilia, neq; injucunda accidisse. Quorum sane exemplo, deq; nostri commentarii iudicio, non potui non mihi ipsi gratulari, ac omnibus, quibus illos legendos tradidimus. Accessit interea mihi non minor inde cupiditas externos quoq; demerendi, eamq; cupiditatem illud auxit, quod intellexerim iis pergratum fore, si nostri commentarii Latini fierent. Hac igitur ratione adductus, ut etiam ab externis gratiam aliquam inirem, utq; omnibus in universum studio, cura industriaq; mea prodessem (quod ego quidem antiquum semper habui, & præcipuum) nostros commentarios ex parvo, quod nobis superest, ocio, Latinos reddendas, atq; illustrandos suscepi. Verum cum tractu temporis animadvertirem, me non omnes in universum externos Latina editione iuvisse, cum longe plures habeantur in unaquaq; natione Latini sermonis ignari, quam periti, Germani, & Bohemi, herbaria peculiariter conscripsi, & in eorum linguis edita in lucem protuli, additis maioribus plantarum imaginibus. Quæ omnia (ut audio) iis haud ingrata fuere. Id quod apud omnes perpetuo testatum relinquet, Matthiolum ad omnes iuvandas nationes esse factum. His expeditis, dum interpretem quærebam, qui idem herbarium nostrum Gallicum faceret, allatus est mihi Francofurto Dioscor. meus in Gallicum idioma traductus, quo factum est, ut à suscipiendo hoc labore animum averterem, ac interpreti illi me non parum debere cognoverim, quod me eo onere sublevasset. Curassem præterea, ut idem, Hispanico quoq; sermone exiret, nisi Andreas à Lacuna me prævertisset. Sed fortasse quoq; fiet, si vitæ nostræ cursum fortunet præpotens Deus, ut in iis quoq; linguis ex Matthioli officina hæc evulgentur herbaria. Scripseram antea in hac eadem præfatione, me absoluta Latina commentaria in Dioscoridem, in multorum gratiam in lucem misisse, mihi vero hætenus non satū concolta. Quo sit, ut nunc loci plus mille aucta, cum pluribus castigata, & maioribus admodum numerosioribus elegantioribusq; imaginibus illustrata vobis inspicenda legendaq; emiserim: sed quid bucuſq; præstiterim, vos in quorum gratiam tantum laboris insumpsi, & tam ingentes feci sumptus, de his æqui eritis iudices. Neq; aliud ab omnibus petiturum velim, quam ut hos nostros Commentarios ea animi sinceritate, & equitate æstiment, qua suos ab aliis æstimari, & perpendi vellent: vel qua ipsi aggregi sumus illos conscribere. Nam et si multorum eruditorum sententias refellere ausus sum, atq; non pauca fortasse nimis acriter insequi, corrupta scilicet, quæ indoctorum pertinacia nunquam satū explodi possunt, id tamen eo consilio feci, ut quantum ingenio proficere, quantum mente elaborare, quantum deniq; iudicii in re Medica, ex studiis, laboribus, ac vigiliis mihi comparare potui, libere in publicum ad mortalitatis fructum, & utilitatem proferrem. Sed certe in hoc longius, quam statueram, digressa est oratio nostra: eo enim nescio quomodo irrepsit, ut partem aliquam aperirem nostri scribendi instituti. Quod tamen non prorsus alienum fuisse, nisi ejus consilii ratio cum alibi, tum præcipue superius in Epistola nuncupatoria à nobis latius exposita esset, atq; à pluribus opinor, comprobata, quam ut hoc loco paucis attingi debuisset. Quare jam ad id nobis accedendum est quod in primis Medica materia studiosos admonendos esse putamus, utpote quod nonnihil privatim ad rem præsentis operis facere videatur. Cum enim ab eo tria potissimum comprehendant, Dioscoridis contextus, nostri in eum Commentarii, & plantarum imagines, de singulis nobis reddenda ratio est, ut qualem me in uno quoq; gesserim, quod consuetudinem sit, non dissimulem. De contextu itaq; Dioscorides quem nequaquam prætermittendum censuimus, ob plures causas, quas hic referre nimis longum esset, quæret aliquis.

Autor Italice Commentaria primum edidit.

Cur Italice Commentaria in Latinam linguam conversa fuerint ab Autore. Autor conscripsit herbaria Germanis, & Bohemis. Matthioli Dioscorides in Gallicam linguam translatus est. Operis auctio.

Authoris exculatio in aliorum carpendis erroribus.

Admonitio ad lectores.

Cur Ruellii versionem præ cæteris probaverit Author.

Cur Joannus Ruellius Galli Medici eruditissimi interpretationem præstulerim, dignamq; existimaverim, quæ præ cæteris in nostris commentariis legatur, cum tamen duo alii viri summi pariter, & doctissimi Hermolaus Barbarus, & Marcellus Virgilius Florentinus, in idem studium gnaviter incubuerint. Fateor ego ingenue, me Ruellii versionem sequutum esse, sed non propterea aliorum præclaros conatus contempsisse unquam: quin potius utriusq; studium semper admiratum: quippe quod uterq; in eo maximam laudem promeruerit. Illud autem me magis movit, ut Ruellium admiserim, quod ejus conversio omnibus facta sit vulgatio, ac frequentior in studiosorum manibus versetur. Adde etiam, quod de communi omnium fere, medicorum præsertim, iudicio præferatur. Cui nimirum nobis quoq; libuit subscribere. Non tamen illud me certe latuit, Ruellium nimis forte religiosum fuisse quippe qui inter-

Præfatio.

rerum maluerit Dioscoridem deferere, quam Plinium, modo Latini sermonis nitore captus, modo etiam rei cogni-
 tione incertus, Theodorum sequutus, qui in convertendo Theophrasto idem sapissime fecisse videtur. Quare à nobis
 perfecta, Ruellii quidem interpretationem recepinus, ita tamen, ut nonnusquam ausus sim ab eo desciscere, vel ve-
 rustissimorum, probatissimorumq; exemplarium, & unius Oribasi fidem secutus, vel certa rei experientia fretus.
 Eorum autem, quæ immutavi, nonnulla obelisco adnotata reliqui, nonnullis etiam signum superimus, eo in exem-
 plari, quod postremo loco excusum dedimus. Atqui nunc ad hoc munus latius obeundum me summopere juvit Cla-
 rissimus Vir Augerius de Bisbeke Belga, qui annis continuis septem apud Solimanum Turcarum Imperatorem, pro
 Cesare Ferdinando Oratorem egit: Siquidem is duo Dioscoridi exemplaria antiquissima Constantinopoli secum
 tulit, quorum alterum Antonio Catecuzeno patritio Constantinopolitano, alterum cuidam Imperatoris Interpreti
 (Dragomanum Turca vocant) mei tantum juvandi causa, mutuo acceptos referebat. Quorum exemplarium
 auxilio non solum permultis in locis Dioscoridis exemplar, quod publice circumscribitur, sed etiam Ruellii ipsius ver-
 sionem castigavimus, ut ex quam plurimis adnotationibus ad marginem dispositis unusquisq; facile intelliget. Ut
 autem omnibus perspicuum esset, unde illas acceperimus, Catecuzeni, Dragomani, meiq; exemplari nomen omni-
 bus & singulis annotationibus addidimus. Id quod doctus viris & rei plantaria studiosis non dubitamus gratissimum
 futurum. Itaq; hinc factum est, ut Ruellii nomen contextui describendum non duxerim, ne viderer cum eo, nomine
 convenire, re autem saepe ab eo dissentire. Satis enim fore putavi, si hic studiosos certiores facerem, me Ruellio Dio-
 scori li conversionem acceptam referre: si frateream rationem reddidissim, cur illi non semper additus esse voluerim.
 Quod quia abunde (ut arbitror) præstatum jam ad alterum nobis propositum, quod de nostri commentarii erat pro-
 grediamur. De quibus profecto mihi satis fuerit tacere, quam pauca dicere, si vallem nasutus, & vitiligatoribus oc-
 currere. Frequens namq; hodie est indiesq; magis pullulat hujusmodi genus hominum, qui nullum in toto vita sua
 cursu fructum semenve proferunt, alienos tamen avidè carpunt, mox lacerant, & pedibus obsterunt: Sed si omnes
 Sycophantæ sunt, temerarii, impudentes: quippe qui tantum bonis & doctis viris subsannandi student. Scimus jam
 dudum non deesse hujusce atræ farinae nonnullos, qui libellis contra nos scriptis, conatus nostros obscurare nitun-
 tur, mixta tantum sophismatibus, fucatis mendaciis, jurgiis, & conviciis. Ego autem cum hos verius Asinos quam
 homines existimem, in plateis lascivientes, pedere sinam ad sanguinem usq;. Interim garriant, agant, scri-
 bant, & contra me latent hi perditissimi nebulones, lacerent, flagellent, vulnerent, & Calumnii, contumelii,
 omniq; malorum genere, quibus tantum nituntur, labores nostros oppugnent, & si quid etiam iis gravius in mentem
 venerit, contra nos proferant, non tamen ob id à studiis, & laboribus juvanda Reipublica, propagandaq; veritatis,
 me avertent, nec unquam suis venenatis moribus scripta mea adeo dilacerabunt, labefactabuntq; (ut ipsi sibi per-
 suadent) quin ea contra innatam eorum malignitatem continuo in medio bonorum, doctorumq; virorum emer-
 gant, & auri purissimi modo elucescant. Nam apud bonos, & sanctos viros, vituperari mihi videretur, si sceleratissi-
 mi atq; perditissimi homines me laudarent. Immo vero si ab iisdem vituperentur studiosi, & de republica bene mo-
 riti, maximo id illis esse honori semper existimavi, cum hujusmodi insidiarum consilia nil aliud moliantur, quam
 virtutem opprimere, veritatemq; confundere: vitium vero (si tantum possent) extollere, & mendacium ubiq; ale-
 re, ut præ ceteris hisce diabolicis illusionibus, miraculi aliquid in medium asserre videantur. Graci calumniatorem
 appellant *διαβολος*, qua voce etiam tam Graci, quam Latini cacodæmonem execrabilem illum teterimumq; hu-
 mani generis hostem, nuncupant, nimirum calumniarum summum architectum, mendaciorum patrem, & discor-
 dia magistrum. E cujus schola prodeunt atræ illa ingenia livorem, virulentiam, fucos & mendacia, utpote Tartaræ
 disciplina materiam spirantia. Proinde qui mendacius malunt connivere, quam pro veritate libere dicere, non
 ex Deo, sed ex diabolo sunt. Semper enim legitimi aliquam referunt ex parentibus notam. Nostri Commentaria
 (Dei Opt. Max. munere) ab annis propemodum viginti, magna cum laude, in omnium manibus, non in Europa so-
 lum, sed in aliis orbis partibus versantur, adeo ut in Italia magno sibi dedecori esse existiment, qui Matthiolum do-
 mi sua non habeant. Atqui horum vitiligatorum sedissima folia, quod omni ex parte pestilentem auram spirant,
 & Stygio tincta sint veneno, non dubito quin merito igni brevi comburenda tradantur: siquidem Salsamentarii
 hæcibus & sarciminibus involuendis, olfacta virulentia, ea haud quaquam admittent. Nostri commentarii,
 scriptis, conatibus ac studiis (ut Deo Opt. Max. placet) subsidii, & auxilii plurimum contulerunt Imperatores, Re-
 ges, ac alii complures Serenissimi, & Illustr. Principes, & Heroes, & nostros modis omnibus juverunt labores: sed horum
 commentitia vanitates, quæ calumniæ captiunculis, maledictis, atq; etiam blasphemis nituntur, comites associas,
 & promotores tantum habebunt, Blaterones, Vitiligatores, Sophistas, Maledicos, Sycophantas, Susurriones, Nebu-
 lones, Invidos, Detractores, Impositores, Impudentes, Temerarios, Thrasones, Gnatones, & alios quotquot habentur,
 hujusce diabolicæ factionis homines. Ad hæc tanta apud doctos & bonos viros (sit etiam hoc citra invidiam di-
 ctum) est autoritas nostra, tantaq; in universa Republica nobis amicorum est copia, ut certo mihi sperandum sit,
 hos suis iniquis, ac virulentis scriptis, longe plures inimicos sibi comparaturos, quam in omni eorum opere extent cha-
 racteres. Sed tantum potest invidia, atq; malignitas, ut vesanos reddat homines, à quo morbi genere nec Apollinis
 numen, cujus nomen novus quidam impudentissimus sibi vendicavit, nec ipsius filius Aesculapius eos liberare queat.
 Atqui inter cetera, id mihi solatii plurimum affert, quod rabidorum canum (ut Itali dicunt) nusquam alantur gre-
 ges. Nam ubi forte fortuna insectantium hominum manus evaserint, postmodum ipsorum rabie xtinguntur. Porro
 facit in præsentia horum nebulonum mentio, ut hic quoq; & si præter rei ordinem esse videatur, Joannem Jacobum
 cognomine Uveker sorem appellare ausim, Siquidem is tabulas medicinales nostras, vigilis, & studiis non pauci elab-
 oratas, quas Bononiæ à Balthassare Burger Labacensi sub Matthioli nomine accepit in librum, cujus se autorem fe-
 cit, congescit, & me laboribus meis exspoliavit. Cum autem res ita habeat, sciant optimi quiq; Medici volumen illud,
 cui Medica Syntaxeos est titulus usq; ad partem *ναβοδοζμω* esse continuatum Matthioli opus, una cum compluribus
 tabulis de evacuandi ratione, quas impudentissimus ille Plagiarius in *βραχυστολῶ* transportavit. Cetera vero partim
 ex Jacobi Sylvii libris, partim ex recentioribus in Academia Patavina professorum scriptis ablata sunt adeo ut jam
 vanus ille Medicus, qui se pavonis pennis ornaverat, cum Aesopi crocitet corvo. Sed nolim Candide Lector, dum hæc
 legis, Matthiolum maledicentia accuses, cum & bruta animalia unguibus & dentibus adversus insidiatores suos par-
 tus tueantur, vitæq; suam amore proliis, quibusvis objiciant periculis. Non sum ego autor injuriarum sed propul-
 sator. Armis utor (ut leges inquiunt) non quæ offendere, sed quæ defendere possunt. Justissima causa est, verita-
 tem ab injuria vindicare, aequè justa, & licita, famam, existimationem, & dignitatem suam tueri, & defendere.

Emendatio
 contextus
 ex diversis
 exemplari-
 bus illiq; ve-
 rustissimis.

Contra ob-
 trectatores.

Præfatio

Contra
corrupto-
res, & ra-
ptores ima-
gioum, ex
Matthioli
commen-
tariis.
Contra Co-
terium ty-
pographū.

De Imagi-
nibus plan-
tarum.

Cornarii
opinio de
Iconibus
non eden-
dis confu-
tata.

Nam & si hic affectus forte ardentius sese exerunt, id virtus facit, non vitium, honestissimus est Zelus inveniendi in alio-
num scelus, & refutare calumnias. Ubi ergo & nos asperius fortasse, quam atas, & animi nostri in ceteris modera-
tio ferat, calamum in hos male feriatos Aetbiopas strinxisse videbimur, id nostra defendenda innocentia ascribam
lectores quaeso. Nam manifestum est eos, quos dixi obrectatores, nulla alia de causa, quam ex mera invidia contra
me scribere. Atqui ubi Invidia & Odium in consilio est, ibi cæcum est iudicium. Sed hos nunc missos faciam, nun-
quam post hac cum illis verba facturus, ne in iis castigandis temporis iacturam faciam, in Reipublica detrimentum.
Elix abunt tandem se ipsos. (ut de fungis quibusdam proverbium est apud Hetruscos) suo ipsorum jure. Verum ad
candidos, & equos, quibus hac scribimus, nostra se convertat oratio. Neminem velim moveat, lectores optimi, nec
id à nobis factum quisquam admiretur, si nostris hisce commentariis, plures quam mille plantarum, & animalium
imagines non appinximus: cum infinitus fere sit stirpium numerus. Hoc (si veritatem fateri debeam) factum est,
non quod deessent adhuc plantæ, sed ob magnos ingentesq; sumptus, quos diutius tolerare non poteram. His accessit
magna negociorum moles, qua studia nostra adeo impedierunt, ut nullus fere fuerit reliquus lacubranda locus. Siqui-
dem posteaquam ab Imperatore Ferdinando in ejus Serenissimi filii Ferdinandi Archiducis Austria Medicum ascitus
sum, cum non solum quotidie præter opinionem multa emergant negocia, ut Medicis Aulicis fere quibuscumq; pluri-
mum evenire solet, & longa quandoq; itinera sese offerant, & bella, quo Medicos, suos oporteat sequi Principes, fa-
ctum sane est, cum hac omnia exequi me oportuerit, ut hisce negotiis impeditus, non potuerim per omnia, & vobis,
& mihi satisfacere. Atqui nobis non parum fecisse videmur, si inter tot Aulica, bellicaq; incommoda, & in tanta
negociorum mole, ingravescente admodum etiam atate, Commentarios nostros vobis nunc damus, non solum (ut di-
ximus) plus mille locis auctos, sed trecentis, ac etiam pluribus stirpium, & animalium Iconibus additis, quæ in prio-
ribus editionibus non habentur. Selegimus tamen meliora ac preciosiora, optimos gemmarios imitati, quippe qui re-
lictis infima plebecula vilioribus Gemmis, Imperatorum, ac regum Coronis ac monilibus ornandis, Carbunculos,
Smaragdos, Saphyros, Adamantes ac splendidissimas Margaritas seligunt. Nam & nos preciosioribus plantis affe-
rendis intenti, quam plurimas novo hoc in viridario nostro conservimus plantas ingenti sumptu & labore ex longin-
quis regionibus allatas, & à nemine hæcenus editas, & à paucissimis fortasse visas: quæ proculdubio ad sese com-
templandas, multorum doctorum, bonorumq; virorum oculos allicient. Sed profecto molestissimum mihi accidit,
quod non desint qui nostras plantarum imagines corrumpant, mutilent, ac destruant. Siquidem Andreas a Lacuna
superioribus annis, non solum in suos in Dioscoride Commentarios, Hispanico idiomate conscriptos, majorem nostro-
rum laborum partem transtulit, sed imagines omnes antea à nobis editas, artificum negligentia, & illius parsimo-
nia, adeo deformes redditas, ut nihil nativi splendoris, qui in nostris minoribus elucet, in iis conspici possit. Sed ma-
gis etiam acerbe accusandus est Coterius Typographus Lugdunensis, quippe qui easdem imagines recudi curavit, &
in Dioscoride nostro, in Gallicum sermonem converso, appinxit. Nunc, is longe magis lucro additus quam sua gentis
juvanda avidus, imagines ipsas in tam exiguum formam redegit, ut nihil inde frugis capi possit, cum nec foliorum, nec
florum, nec fructuum, nec radicum aperta sit facies, sed omnia confusa, intricata, mutila, & conspurcata appareant:
Adeo ut me quandoq; pœniteat tantum suscepisse laboris, & præsertim cum videam hosce impostores, impune alienos
corrumpere & occupare conatus. Ceterum ut de imaginib; quoq; seorsim aliquid aliud dicam, equidem alias abhorruui,
ab iis excudendis, ratus neminem unquam posse ex Iconibus, tam veram, & exactam simpl. med. peritiam assequi, ut
eorum varietas possit una pictura comprehendere. Siquidem non ea est pullulanti herba facies, quæ adultæ, neq; adul-
ta, quæ jam senescenti. Quod si ejusmodi herbarum mutationes omnes singulis picturis deberent representari, quis
dubitet id opus futurum infiniti laboris, ac immensi sumptus? Verum enimvero cum vidissem tales aliorum conatus
ab omnibus propemodum commendari, ac in dies crescere studium virorum rerum effigies in publicum edentium, ne
solus viderer in diversam ire sententiam, re ipsa tandem melius perpensa, & aliter comperta, ac aliud docente ipsa
experientia, nolui huic optimo & minime infrugifero deesse studio. Huc accedebat, quod non mediocriter ad hoc
me incitaret Typographi cujusdam Mantuani vanitas, qui nostris operibus Italicè prius editis, furtim quasdam inse-
ruerat imagines, minime à nobis adjunctas, quæ quodvis potius, quam rem ipsam referrent. Gaudebam id adhuc
me superstitie, contigisse, ut turpem notam falso mihi iniustam ipse deletem. Ideo, ut & aliorum conatus adjuva-
rem; non tantum ut mea in medium proferrem, sed & ut de vobis studiosis, si possem, bene mererer. Sed quam res
hæc nobis difficilis fuerit, non est quod pluribus explicem. Omnes enim sciunt, quam difficilime inveniantur homi-
nes, qui res ipsas, ita ut sunt, ad vivum depingant, & qui depictas diligenter insculpant: quorum major adhuc ino-
pia est. Id quod etiam facile dijudicabitis studiosi, qui in hoc opere nonnullas fortasse effigies affabre satius, nonnullas
vero hæud satis solerter sculptas offenderitis. Sane quod in rem communem navare potui, licet illud exiguum esse in-
telligam, in eo tamen non commisi, ut meum studium, opera, aut diligentia à nobis desideretur. Quid autem pro-
fecerim nescio: vestrum de omnibus erit iudicium. Sed longe aliter, quam nos, videtur fecisse Cornarius, alioqui in
utraq; lingua doctissimus, sed qui inter omnes alios forte singularis haberi velit. Is enim in suo Dioscoride, quem
nunc primum in Latinum vertit, emblematis quibusdam additis, non solum nullas appinxit imagines, sed eos et-
iam acriter damnat, qui eas in suis inseruerint commentariis. Sed an livore potius, vel ratione ductus, id fecerit, vos
iudices esse velim, si quandoq; illum boni viri legeritis præfationem, & ejus animum diligenter explorabit. Nam
tamen si Galeno dictum sit, (id quod & nos ante Cornarium scripsimus) plantarum imagines parum conferre ad ea-
rum indagandam cognitionem, non tamen ob hoc accusandi sunt, qui plantarum, & animalium Icones in suos con-
ferunt libros. Quippe quoniam nusquam invenerim damnasse Galenum plantarum imagines, quæ in libros appin-
gi solent, sed eos qui existimant se rei plantarie peritissimos evadere posse, non solum imaginum inspectione, sed &
librorum quorumcumq; lectione, licet fuerint ii à summis, gravissimiq; autoribus conscripti. Quamobrem non pa-
rum mirari subit Cornarium alioqui virum apprime doctum, Galeni verba non modo non intellexisse, sed in repro-
bum quoq; distraxisse sensum. Quo fit, ut hinc facile suspicari quis possit, quod cum animadvertit Cornarius omnium
postremum Dioscoridis interpretes, nullum sibi reliquum jam esse locum, quo novi aliquid de plantarum imaginibus af-
ferre potuerit, id sibi consilii ascivisse, ut eos admodum detestaretur, qui plantarum picturas in suis libris habent: re-
tus fortasse hoc detestandi genere, non solum laudis plurimum sibi comparaturum, sed etiam suum obrecturum infer-
tunium, suamq; (quod ejus pace dicam) in plantarum historia imperitiam. Quæ enim sit alia ratio, cur aliorum
damnatur industriam? Quasi posteris non sit id licitum, ut & ipsi aliquid suo ingenio, & studio excogitent, quod ab
antiquis

Præfatio ad Lectorem.

antiqui ante non sit animadversum. At non damnaſſe Galenum plantarum imagines, nec libros de plantarum hiſtoria conſcriptos, ſed homines, qui horum, harumve tantum inſpectione poſſe quenquam rei plantaria fieri peritum, crediderunt, id maniſeſto fuerit argumento, quod ipſemet Galenus libro primo de alimentorum facultatibus, poſteritati memoria prodidit, cum inquit: Comparatos nobis eſſe hoſce libros, ut nobis ſint eorum, quæ ante didicimus, monumenta, non ut rudes, & ignari per illos perfectam doctrinam aſſequantur. Quod ſi qui ſint, qui præceptoribus careant, velintq; iis, quæ luculente, ac copioſe ſunt ſcripta, diligenter incumbere, magnum inde fructum eos accepturos teſtatur idem Galenus, præſertim ſi ea relegere non graventur. Quibus palam eſt longe magis deteſtandos eſſe eos, qui clariſſimorum hominum laboribus invidentes, nil aliud quam blaterare, ac carpere ſciunt, quam eos, qui Reipublicæ commodis ſemper prodeſſe cupientes, nil aliud agunt, quam ut boni ſemper aliquid, & novi in publicum uſum promant. At quare imagines. & non libros damnaverit Cornarius, cum non minus ex Galeni ſententia, eorum lectione, quam imaginum inſpectione, qui neutiquam proficere valeat, non ſatis animadverto. Cur tantum laboris, ſi nihil profuerit in vertendo Dioſcoride, adjectis quoq; emblematicis, in caſſum ſuſcepit? Hoc ne ei erat ſtudium, hunc ne capiebat animum, ut in vanum laboraret? Porro nil aliud vobis dandum, dicendumq; ſupereſt. Spero tamen ab iis, qui grati ſunt (ingratos, malevolos, ac invidos nihil ſane moror) me gratiam initurum: quandoquidem mihi communis utilitatis cupidifſimo, hoc opus non aggrediendi voluntæ deſuerit, ſed perficiendi facultas, quam tamen omni ſtudio conſequi aſidue conamur. Bene valete, & noſtra boni conſultite.

PRÆFATIO AD LECTOREM

CASPARI BAUHINI.



U^{bi} opera in hoc volumine præſtiterim, C^{andide} L^{ector}, paucis aperiā. Cum Petri Andreæ Matthioli in Dioſcoridem Commentaria, ſæpius Venetiis apud Valgrifios edita, toties fere mutata, maxime poſtrema anni 1583. quæ cum ultima ab auctore ipſo data editione non convenit, cum multa non ſolùm verba, ſed lineæ, imo ſententiæ ſint omiſſæ, ut in capite de Malabathro, Cinnamomo, Coſto, Junco odorato, Baſamo, Aſpalatho, Manna, aliisque videre eſt: nunquam vero in Germania Latine excuſa, ſerio vero expetita, Typographus prælo eſſet commiſſurus, à clariſſimo & excellentiſſimo Viro D. Jo. Hartmanno Beyero, Reipubl. Francofurdianæ Archiatro, ipſius Typographi nomine ſummopere rogatus, ut ſucciviſis horis in Matthioli lectione, me, qui totus eſſem in univerſali hiſtoria nova conſcribenda, oblectarem, notisque ubi opus foret, illuſtrarem: ſane laborem hunc in gratiam Medicinæ ſtudioſorum, eorundemq; commodum, denegare nec volui, nec debui: mihiq; cordi fuere: Primo ut omnia opera à Matthiolo edita in unum corpus congeſta, prodirent: cujuſmodi ſunt, Commentaria in Dioſcoridem, quæ Italice quinques, & Latine toties, quater in Italia, ſemel in Gallia: quæ Germanice bis primo opera Georgii Handſchii, dein, opera Clariſſimi Joachimi Camerarii (qui inſignem operam præſtitit, multisque novis figuris auxit) prodire: quæ etiam Bohemice bis, & toties Gallice, ſemel quidem ſtudio Antonii Pinæi fuere excuſa. Compendium ipſius ab auctore primum in Italia, dein Lugduni in 16. opera Pinæi: tum in Germania, labore D. Camerarii. Apologia & Cenſuræ in Amatum, Commentariis additæ aliquoties, tandem in ſecundum Epistolarum librum rejectæ: Diſputatio adverſus viginti problemata Guilandini anno 1562. edita, quæ in libro tertio Epistolarum nunc habetur. Epistolæ medicinales in folio & octavo editæ: Dialogus de lue venerea, ſeparatim & conjunctim cum aliis ejusdem materiei excuſus: & ſimilia. Dein diverſas Commentariorum editiones contuli, & quæ in aliquibus deerant, complevi: fuere enim ad manus editiones annorum 1554. 1559. 1561. 1563. quo anno tres diverſæ editiones prodire. 1565. 1568. 1570. 1571. 1572. 1583. 1586. Bohemicam vero editionem anni præcedentis habere non licuit. Tum, quia in Commentariis non ſollicitus fui circa deſcriptiones, quas tamen Compendio à ſe anno 1571. edito, inſervit, eas omnes inde in Commentaria ſuis locis inferui, & quidem iisdem auctoris verbis ſervatis. Quarto cum multarum plantarum ſæpius meminerit, figuris non appoſitis, eas adjeci, & quidem ex omnibus editionibus tam ab ipſo authore datis quam ab aliis (maxime D. Camerarii, qui elegantiffimis figuris Matthiolum illuſtriorē reddidit, cujus nomine non parva illi debetur gratia) & quidem numero trecentas, ut ſubſequens docebit Catalogus. Quo vero auctiora eſſent hæc Commentaria, placuit ex meo Theſauro